DOMINICA I. ADVEN.

Ante Sanctissimam Communionem

Punctum 1. Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis. Luc. 21.

Considera nihil posse sine Justitia regi, et consistere, tàm apud mortales, quàm apud Deum. Vnde veteres Aethnici finxerunt Aeacum, Rhadamantum, Minoemq́ iudices apud inferos agere, animasq́ mortalium ab ijs iudicatas esse: vt demonstrarent, nihil vnquam sceleris impunè committi, et absolui. Sed nos multò magis deterreri iudicij metu, auocariq́ à malo debere. vt pote qui non fabulis credimus, sed ex veritatis æternæ ore hausimus, non fabulosorum aut fictorum iudicum conspectum nos subituros, sed vero Judici Veri Numinis Filio sistendos ad reddendam cogitationum, verborum, operumq́ omnium nostrorum rationem: qui Filius Numinis vnius soliusq́, post mortem atrocissimam tumulo surgens quadragesimum circa diem regna cælestia intrauit, & inde, iuxta Apostolorum quempiam testantem, venturus est iudicare viuos & mortuos. Quod si indicia diem hunc decretorium præcessura, tam futura sunt horrenda, vt mortales ad mortem exoptandam compulsura sint, quanto horribilior ipse actus iudicii, & facies erit. Recogitabis itaq́ vtrumq́ Domini aduentum, tàm ad saluandum, quàm ad condemnandum constitutum esse, & te ad vtrumq́ serio per bona opera, præsentemq́ communionem curabis disponere.

Justitia res stant.

2 Erunt signa &c. ibidem.

Quamuis apertissima hæc doctrina sit de signis, quæ, futurum est, vt compareant ante diem iudicij; tamen non abs re tu illam sic potes expendere. Cogita per Solem Saluatorem mundi intelligi, qui est Sol Justitiæ: per Lunam, Sanctissimam Dei Genitricem: de cuius venustate dictum est: Pulchra, vt Luna. Per stellas, omnes Justos Sanctosq́ Dei; quibus promissum est; Fulgebunt iusti, sicut stellæ. Atq́ primum

Mistica signor. explicatio

P. Ignatii a S. Francisco Schol. Piar.

frequenter & devote sacram communionem frequentandi: quâ & culpa delentur, & Divinæ Maiestatis furor placatur, & conscientia quietem summam nanciscitur. Effect. S. Communionis

Post Sancmam Comniem

Punctum 1. Nam Virtutes Cælorum movebuntur. ibi.

Sive firmamenta Cæli, sive Angelos, per Virtutes intelligas, utrumque necesse est, & profecto quam maximè, ut te commoveat, commoneatque ad pœnitentiam seriam, & non fictam. Si enim firmamenta ultimo illo die casura sunt, quid aliud expectandum universæ creaturæ erit, quam exitus horrendus peccatorum? Si Angelicæ virtutes, purissimæ, sine labe, trement: tu, quâ facie, quo vultu, quo animo ante Judicem implacabilem consistes, cum sis plenus macularum fœdissimarum? Nunc ergo habes tempus acceptabile, tempus salutis; opera tua bona accepta esse Deo facient. Orationes, mortificationes, humilitas, patientia, labor, studium virtutum perfectionis: quarum ne minimam occasionem omittas exercendarum, ut securè præmium Regni cœlestis, & vocem illam optatissimam: Venite, cum prædestinatis omnibus, accipere, excipereque possis, ac pascua ingredi sempiterna. Amen.

2 Tunc videbunt. ibidem

Considera Christum ad iudicandum venturum cum Apostolis suis, omnibusque iis, qui suam crucem amplexi sunt: hoc enim ipse prædicens: Vos inquit, qui secuti estis me, sedebitis super sedes 12 iudicantes duodecim tribus Israel. Tunc crucis amatores adhærebunt dexteræ Crucifixi, speque iam pleni, imò certi salutis & æternæ beatitudinis consequendæ, miram hilaritatem, & lætitiam præ se ferent; Abominatores vero, & contemptores Crucis lævam tenebunt, quos conscientia incredibili cruciatu affliget. Videbunt enim universa mala sua patrata, & simul videbuntur; In cruce salus.

INSPECTIO CORDIS

Stanislai à J. M.ª Congregat.
Immaculatæ Conceptionis
Clericorum Recollectorum
Ex Scholis Pijs Præpti
Recollectiones per Do-
minicis et Festis totius anni
et menstruis exercitijs
tumultuariâ opera conscitatæ
In Domo Goren. Schol. Piarum
extant aliæ emendatiores
per authorem factæ.

N.º 9. productum et revisum judicialiter sub
Die 15. Martij 1773. tran: Rom: Gro-
chovanus Notarius mp.